



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEMERITO SANETEMPLUM SANCTIS CYRILLO ET METHODIO
DICATUM**

QUODQUE IN URBE «DANVILLE» EST SITUM, IN HARRISBURGENSI DIOECESI,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS ATTOLLITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Merito sane etiam nostris quidem

temporibus Sancti Cyrillus et Methodius perspicuum congruentemque obtinent locum non modo in universa ipsa Ecclesia
verum etiam communitate in ipsa civili, cum fuerint iidem simul Evangelii indefessi praecones simul praesertim apud
Slavonicas gentes cultus et humanitatis efficaces auctores. Eorum igitur opera et exempla extollere volumus et usque
omnibus praeberere imitanda. Quapropter iusta effecti laetitia, Venerabilis Fratris Gulielmi Keeler Archiepiscopi

Baltimorensis atque Administratoris Apostolici Harrisburgensis precibus enixe admotis occurrendum esse existimavimus,
qui vero multum sua interesse suorumque fidelium asseruit ut templum Sanctis Cyrillo et Methodio dicatum et id in urbe,

quam inibi incolae Danville vocant, locatum, in dioecesi videlicet Harrisburgensi, in Basilicarum Minorum numerum

referretur. Sacra enim aedes illa tum artificii quibusdam praestat tum tot Slavos origine in memoriam redigit qui petunia
sua aedificium istud excitandum curarunt. Itaque ea probantes quae Congregatio pro Cultu Divino et Disciplina

Sacramentorum, factis olim a Nobis facultatibus, hac de re statuit, Apostolica Nostra usi potestate, templum illud de quo
supra est facta mentio, ad dignitatem statumque evehimus Basilicae Minoris, additis pariter iuribus et privilegiis quae ad

id genus templa pertinent, dummodo ea servantur quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» iubet, quod die VI mensis
Iunii, anno MCMLXVIII, est editum. Contrariis quibuslibet rebus minime obsistentibus. Facere demum non possumus quin

praeclarorum Sanctorum Cyrilli et Methodii exempla non modo incolis ibi Slavis origine verum etiam omnibus fidelibus

magnopere commendemus, qui Sancti toti Dei regno proferendo se dicarunt. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub
anulo Piscatoris, die XXX mensis Iunii, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana
